

6

GEORGII ERNESTI STAHLII,
MED. DOCT. AC PROF. PUBL. ORDIN.
PROPEMPTICON IN AUGURALE
DE
CASIBUS MEDICIS
PRACTICIS.

ГЕОДЕЗИЧЕСКАЯ
ИЗМЕРИТЕЛЬНАЯ
И ТЕХНОЛОГИЧЕСКАЯ
ЛITERATURA



Ntiqua illa assertio, imò sacra, *Nihil novum fieri sub sole*, quantumlibet aliena interpretatione velut in dubium adduci posse videri queat, certè tamen, si vel paulo laxius sumatur, aut, abstrahendo à purè *artificialibus* effectibus, de his potius, quæ *natura*, & mentis propensione simpliciore,

perpetrantur, tuetur omnino dignitatem suam, ut passim quidem *aliter* aliquid fieri, sed non *aliud*, rem exquisitiùs perpendentibus, satis dilucescat. Quamvis autem etiam res *artificiosas* ex aliqua parte bono jure excipiamus, minime tamen illæ quoque ita simpliciter eximendæ sunt ab hoc censu, quin passim satis clarè appareat, quod etiam *artificiosæ* res non omnes totæ quasi primò *prodire*, sed nudis *schematismis* variatis, denuò *redire*, agnosci possint potius, quam verè simpliciter novæ emergere. In rerum certè *materialium* repùblica, quæ secundum magnam illam σύστασιν, matuis concursibus, successibus, cooperationibus, velut in scenam prodeunt, valet hoc certissimè, quod nusquam sincerè prodeant, ut novæ, sed redeant solùm, ut *de novo*. Et licet harum aliquæ etiam revera raro obtingant, comparatis tamen inter se antiquis monumentis, satis passim dilucescat, quod etiam jam à priscis temporibus eadem facta sint, aut planè hæc ipsa fuerint, sed inventa solùm seriùs, aut animadversa, videantur hoc respectu nova. Ut à generali latissimo ambitu, ad arctiorum complexum nos recipiamus, sumemus nobis, tanquam

specimen aliquod, vulgo ita nominatos *Casus Medicos Practicos*. Usitatum valde est Doctoribus, ut collegia etiam tota, Philiatris proponant, *Casuum Medicorum*; minime contemnendo studio atque scopo, nec ita quidem ullo modo injusta appellandi ratione: cum utique imperitis, aut nondum satis exercitatis, etiam illa *nova* videri necesse sit, quae vel quotidie passim eveniunt: Pro qualibus eò melius excitandis & exercendis, omni modo longè aptissima est illa methodus, ut ipsis *Historiae morborum*, ea ratione proponantur, ut tanquam in rem præsentem adducti, sine præjudicio interim tertii, nempe Patientis, moram non sine periculo laturi, considerent securius, speculentur, imo agnoscant, quid è circumstantiis eliciendum, quid primo, quid posteriore loco, attendendum, quis primarius, quis secundarius affectus sit. Interim, cum in his etiam rebus offensio obtингere possit, quam evitare non magis utile sit, quam necessarium, placet propterea de hac realiquid proferre. Ante omnia videlicet servandam puto, jure meritoque discretionem illam, quid simplicis *historiae* morborum nomine, & nihil coacta *enarratione*, dignius esse, & longe commodius ita tradi atque doceiri possit: quid verò contrà, tanquam ex involuto quodam complexu eliciendum, proponere atque sistere, expedire possit: & quibus maximè res tales ita proponi commodissimè debeant. Hoc enim modò inservit demum, *exercendis ingenii*, methodus *casus* proponendi, quando *historias* morborum directas atque simples, ante omnia rectissimè cognitas habent; ut ita inter varias concurrentes fortè *accidentales* circumstantias, tanquam enucleare & dijudicare discant, quid directè, quid per indirectum, quid *primariò*, quid *secundariò* & ut ex accidenti, fieri aut subesse agnosendum sit: ut ita verum morbum dignoscere, & ad illum intentiones suas dirigere possint. Quando verò perversa methodo negotium geritur, ut *involuti* quasi, *complicati* præcipue magis, quā *comitati*, affectus, talibus sistantur, qui singulorum veram & exactam indolem nondum intelligunt; frustra etiam esse omnem spem boni usus, tanquam in propatulo esse arbitror. Deinde verò, & tan-

& tanquam secundo loco, pessundat sæpenumero certe, usum casuum ita narrandorum, illud ingens præjudicium, quod Medicina hodierna nimis aliena sit à cognitione & prudentissima æstimatione *de cursu* & *eventu* morborum, prout illi, etiam sine omni positivo adjumento artis, ipsius Naturæ energiæ, ita in ordinem coguntur, ut illis supératis, œconomia corporis suæ integritati restituatur. Qualibus methodis, mediis, viis, eventibus, hæc omnia procedant? Quid vero etiam *ars* verè & sincerè hic possit, ab his naturæ methodis re vera diversum, melius, inquam, illis, & ante omnia *paratiūs*. Ubi nempe, tertio, cum *casus* tales, communiter ut in ordine ad Therapiam, producantur; nisi benè discernatur, quid à naturæ potestate, quid ab artis præsidiis, sperandum veniat, non potest unquam *casus* talis solidè resolvi, nisi morbus, non ut in casu præsente sese offerat: sed ut in sua indole sese gerere jam certum esse debet, quò recte judicari, aut ad methodum medendi convenientem applicari, possit. Unde quidem, quartò, illud, quod *casibus* hujusmodi, si non simpliciter finguntur, sed è verâ observatione memorantur, multum certe difficultatis injicit, est sæpenumero ipsa, alibi prægressa, alibi concurrens, heteroclitæ tractatio artificialis: Ubi deinde fieri non potest, quin veræ indoli morborum, ut *in se* existere deberent, varia præjudicia eveniant, ex insolitis phænomenis, per inconditam tractationem demum introductis: quæ sæpenumero non magis dignotionis promptitudinem morari, quam ipsum etiam morbum, ejusque justum & legitimum obsequium ad justam quoque curationem, variè disponere possunt. Unde, si deinde tales *casus*, ad finem usque enarentur, rerum recte *peritis*, veluti in sensus incurrat, quod non tam *morbi*, quam inconditæ curationis, ille *casus* habendus, pessimè certè paradigmatis loco, ad imitationem proferatur. Cæterum autem, quintò, hujusmodi *casus*, scriptis, directe & simpliciter didacticis, inserere, quæ aliqui pro usu tanquam particulari, *descendi* & sese *exercendi*, usurpare debeant, minimè justum est, & æquum. Interim, uti tales res etiam veluti semper denuò recoquere, certè odiosè supervacuum est, loquor autem de publicis enar-

rationibus;) ita tantò magis in eptum certe est, hujusmodi res
non tam è media potius quotidiane praxi arcessere & ad illam
provocare: quam ex aliquot Authoribus similes historiolas
conquirere, & prolixè, non allegare, sed transcribere. Sicut
enim certè stupidè stolida esset ambitio, ex hujusmodi indu-
stria, prolixæ eruditio nis existimationem aucupari: cum Mo-
xoni Directorium, Lipenii Bibliotheca, A. N. C. cum opero-
sis passim suis scholiis, ne Tironibus quidem amplius tam pa-
rum nota sint, quin notissimum habeant, quod ad istorum du-
ctum & indicia, nulla ulteriore arte, sed solo otio, & describen-
di patientiâ, opus sit: quibus subsidiis suppetentibus; etiam
inertissimus de reliquo quilibet, hujusmodi res consarcinare
possit. Quod autem ad rariiores casus attinet, servandum cer-
tè etiam circa illos est prudentissimum judicium, ne vel con-
trario usui adhibeantur, nempe ordinariis morborum historiis
stabiendi: vel ex adverso, tanquam peculiari commemora-
tione digna reputentur, & tanquam rariora, æstimentur, talia,
quæ potius ex universalis Experientia, vere innumerabilium
exemplorum quotidianorum, & vulgo quoque hominum satis
notorum, manifestissimè, maxime vero simplicissimè, citari quæ
maxime possent: & insuper quidem ita demum etiam quam ma-
xime sincera exempla exhiberent, nempe solâ perversa forte
tractatione deformatorum morborum. Difficultas summa quæ
impedit, ne hujusmodi casuum per tractationes, tali decente
ratione perpetuò adornentur, imo potius vel nunquam pro-
pemodum ita uti conveniebat, instruantur, est utique primò
omnium, portentosa illa quidlibet, circà historiam æquè, atque
mutuam conspirationem morborum opinandi, imò fingendi, li-
centia. Ex hac enim prognascitur utique versipellis illa, affectus
non solum alienius interpretandi, sed omnino, per falsam præ-
conceptam opinionem, etiam simpliciter observandi, & exqui-
sitiè enarrandi, alienatio: Et hinc etiam, quarumlibet potius ali-
arum, quam verarum concurrentium causarum, animadver-
sio. E quibus interim rebus, quantum damni non solum in
morborum, sed etiam curationum, per Fallaciam Non Cau-
se ut Cause, historiam, ingruant damna & offendicula, &

passim etiam falsae opiniones, de efficacia medicamentorum & methodorum, quando propriæ declinationi morbi salutari talia adhibentur, & ita, (ut certe recte deridet vulgus, Das letzte Hilfßt) quod revertenti sanitati tanquam obviam missum est, illam restituisse creditur: hæc inquam facile est cordato æstrimatori comprehendere. Unde quidem omnibus modis dignum esset, ut etiam hujus generis otiosæ, tanto magis autem vanæ, enarrationes, intra cancellos coercentur, & veritatis potius simplicitati, quam in tricandis hujusmodi tricis, opera navaretur.

Differere hæc libuit per occasionem publicæ commendationis, quam à nobis postulat.

DN. IUSTUS TOTTINUS,

Mitaviae Curlandus.

Natus hic in modo nonnata Ducatus Celeberrimi Metropoli, Patre Viro Nobilissimo atque Amplissimo DN. JUSTO TOTTINO, Senatore urbis spectatissimo: Matre virtutibus flexum suum ornantibus laudatissima, ANNA MARGARETHA Windhorstii honestissimi viri mercatorii ordinis filia. Ab his Parentibus optimis, non solum ad optimos mores ab ipsis cutis, post pietatis studium, felicitè formatus, sed etiam optimis studiis dicatus atque destinatus a puero, privatorum Informatorum curæ præcipue commendatus est: Adultior autem jam Scholæ Publicæ Celebri hujus urbis commissus. Tandem Anno 1700. Thorenium transmissus, florenti ibi adhuc Gymnasio adscriptus, philosophicas disciplinas coluit: Post biennium Regiomontum profectus, per anni forte spatium, Jurium studio annum applicuit: Proximo autem anno ad Illustrem hanc Regiam Fridericianam transmissus, mutato, cum Charissimorum tamen Parentum consensu, & Amicorum prudentium fvasu, proposito, Medicam Artes comprehendere aggressus est: Eumque in finem Excellentissimi DN. D. HOFFMANNI quidem Collegium Experimentale Physicum Curiosum, & Commentaciones atque Præmonstratio-

nes

nes Materiæ Medicæ audivit: Mea vero Collegia Anatomi-
co-Phyologicum, Pathologicum, Practicum repetitum, Chi-
rurgicum, & Chymicum, omni cum industria percepit.
Privatam etiam instructionem suscepit ab Experientissimo
DN. D. GOHLIO, qui ipsi dictatas quondam a me The-
ses in omnes partes Medicæ Doctrinæ, vulgo Cursum Me-
dicum vocant, diligenter explanavit. Præterea verò pu-
blicè etiam laudat benevolentiam atque facilitatem Expe-
rientissimorum Fratrum D NN. RICHTERORUM,
Medicinæ Doctorum: qui non solum ad Collegium Praeti-
cum privatus olim habitum, sed etiam in Officinam Phar-
maceuticam Orphanotrophæi instructissimam aditum, ipsi
liberum concederint: Quin etiam comitem ad visitandos
ægros bene numerosos, passim adsciverint, unde clinicam
morborum historiam comprehendendi, optimam occasio-
nem obtinuerit. Tandem Anno 1707. in patriam reversus,
& ibi quoque ad praxin, quantum occatio ferebat, attentus,
annuo propemodum spatio, cum bonos, assistente DEO, suc-
cessus experiretur, hortantibus propinquis ad prosequen-
dam serio ipsam praxin converso animo, Honores etiam &
Immunitates in Arte Summas adsequi animo proposuit.
Reversus ita ad nos, Facultati nostræ desiderium hoc suum
decenter aperuit, cumque nulla esset causa quamobrem ipsi
deesse deberemus, aditum ad consveta examina merito im-
petravit. In quibus cum profectuum suorum laudabiles ex-
hibuerit fructus, meritò ipsi ultimi etiam speciminis publici
Inauguralis potestatem fecimus, hoc cum editurus sit Dispu-
tatione solenni, de DIÆTA, proximis Calendis Sept.
ad hunc Actum Solennem SERENISSIMUM PRIN-
CIPEM SAXONIÆ Magnif. Pro-Rectorem, reliquos-
que Illustrissimos, Illustres, Maxime Reverendos, Excellen-
tissimos, Generosissimos, Nobilissimos atque Doctissimos,
Academiæ nostræ Proceres, Fautores, Cives, pro officii ratio-
ne, cum omni honore debito atque observantia invita-
mus. P. P. Dat. Halæ Magdeburg. die XXVL
Augusti, MDCCIIIX.

(L. S.)